

stantia illa, quæ est principium motus physici reduplicatiuè, non est substantia Angelica; motus namque naturalis idem est ac vt ita natiuitas; ea namque, quæ nascuntur, dicuntur motu naturali fieri, id est generatione, oriri alia ex alijs, vox namque nature ad res corporeas, quæ ab alijs pari modo corporeis oriuntur, restricta est, vt significet id, quod qualibet huiusmodi res corporea est vi generationis, qua de non esse ad esse deducta, est, quomodo non est esse Angelorum, nec animæ rationalis.

## S V B S E C T I O I V.

### *Fundamenta Thomistarum afferuntur & confutantur.*

**I**Nter ipsos Thomistas agitatur hæc quæstio de obiecto physica circa ens mobile fundati, prout credo in Aristotelis doctrina 6. metaph. textu 5. & 2. physic. text. 71., vbi Stagyrta ait naturalem philosophiam versari circa ens possibile moueri, at ens possibile moueri est ens mobile, subdunt ipsi Thomistæ; ergo ens mobile est obiectum philosophiæ naturalis, & ex eodem Aristotile 3. physic. definiente ipsum motum eandem suam conclusionem deducunt, ait namque ibi Aristotiles, motus est actus entis in potentia, pro vt in potentia, non autem corporis, aut alicuius alterius rei; ergo de primo ad vltimum concludunt Thomistæ, ens mobile est obiectum philosophiæ naturalis, videlicet physiologia.

16 Conclusio tamen, & opinio mea contraria est, sed antequam ad demonstrationem meæ veritatis deueniam, quid veniat nomine mobilis, volo vt consideretur, ex hoc enim patebit ipsa huius quæstionis veritas.

Nomine mobilis dupliciter sumi potest, primo, prout significat potentiam ad motum, quæ quidem potentia accidens est de genere qualitatis; secundo, pro vt significat potentiam radicalem, vnde fluit potentia ad motum, & hæc radicalis potentia, est substantia, non accidens, v. g. pars substantialis perfectibilis, & pars similiter substantialis perfectiua est primum principium motus naturalis, in quo est radix mobilitatis, & hoc principium radicale ad genus substantiæ spectat; illa verò aptitudo, quæ ex passione talium substantiarum in ipsis resultat est principium motus proximum, & hoc ad qualitatis lineam